

Ac quoniam concesso aliis agros depascendi jure, ante certum quoddam anni tempus eosdem novales proscindere non licet, triplex hoc inde impedimentum prodit, quod opus primum non semper coelo sudo, deinde quod cum aliis negotiis saepe una fit, non nisi festinanter fieri potest, denique ager ipse, qui ista requiete admodum obdurescit, et difficilius novatur et sensim sensimque magis fit infecundus. Augetur vero illud impedimentum, quod ex lege tertio quoque anno sementis fieri debet intermissio. Unde sequitur, agros triginta, ista servitute impeditos, intra triennium, non plus, quam vinginti ab eadem liberos, emolumentum afferre. Quare, qui tot ejusmodi agros possident, dolendum est, quod tantum vectigalium pendere debent, quantum, qui totidem exemptos ab hoc onere, eosque igitur longe fructuosiores. —

Praeterea commemorandum est huic affine incommodum, quod in jure depascendorum pratorum cernitur. Nam quod hoc modo prima germina, quae sunt, nullo dubitante, optima, partim depascuntur, partim conteruntur, solum autem conculcando paludosum fit; in pejore humo sequiora germina relinquuntur, lichenes, felices et multa musci genera invalescunt, et in universum foenisicii fructus valde minuuntur. Huc accedit, quod nec stercorari justo tempore, neque irrigari, neque, ut nunc ajunt, multifariam innovari prata debent. Porro tametsi bina quotannis foenisicia fieri possint, singula tantummodo in gratiam hujus privilegii permittuntur. Quo privilegio sublato prata sine dubio meliora futura, pabulorum, pecorum, stercoris, frumentorum carni, alimentorum copiam, quaestus faciendi cupiditatem bonorum et mercedis summam, ne multa, opes publicas mirum quantum auctura essent. Quod quam fit optabile, vel hinc potest intelligi, quod in nonnullis regionibus sola prata quae pro iniqua conditione necessariam multorum fundorum ruinam prohibent, magni pretii, et habentur, et penduntur.

In privilegiis, quae hunc quaestum impediunt, decumarum quoque mentio facienda est, quae lucrum saepe detractis impensis superant, et stramina, stercorandi materiam, demunt.